

II h  
870





Q. K. 429, 46.

180





DE  
VVLCANO IN LEMNO REGE,  
SVB CVIVS AVSPICIIIS ARTES FERRARIÆ IN ISTA  
INSVLA REGNARE COEPERINT,  
EXPONIT

---

SIMVLQVE  
SVMME REVERENDVM  
DOMINVM EPHORVM,  
INSPECTORES RELIQVOS  
MAXIMOPERE COLENDOS,  
A C  
ALIOS REI LITTERARIÆ FAVTORES,  
CVM  
CIVIBVS VRBIS,  
A D  
ACTVM ORATORIVM,  
CRASINA LVCE, AVDITA HORA IX. MATVTINA,  
D. X. SEPT. M DCC LI.  
HABENDVM,  
QVA DECET OBSERVANTIA,  
INVITAT,  
ADAM DANIEL RICHTERVS,  
RECT. SCHOL. ANNEBERG.

---

ANNABERGAE,

EXCVDIT AVGVSTVS VALENTINVS FRIESE.





18  
VEREINIGTE KÖNIGLICHE  
BIBLIOTHEK  
ST. PETERSBURG

DOMINICUS M. THORVM  
JACOBIUS RILLOVS



ALIOS RELIGIOSOS PAVLOS  
CIVILIS PAVLOS

ALIOS RELIGIOSOS PAVLOS  
CIVILIS PAVLOS  
ALIOS RELIGIOSOS PAVLOS  
CIVILIS PAVLOS

ALIOS RELIGIOSOS PAVLOS  
CIVILIS PAVLOS







**D**um montes nostros, qui non in visceribus modo intus, sed supra etiam in superficie sua suas parabiles diuitias habent, et luculentas, laudaturi sunt iuuenes quidam eximiae spei, e quibus vnus praesertim, praeter ferri fodinas, ferrarias officinas carmine latino decantabit, ego, quae in fabulosa veritate de Vulcanus a Natale Comite, et aliis multis, omissa sunt, exponere his paucis, id quod haud absoum fore putabam, quia praefato opus est, constitui. *Vulcanus* autem, vt *Seruius* docet, *Volicanus*, quasi *volans candor*, dictus est, quod per aërem volet, et *Varro* cum a maiore vi ignis ac violentia nomen hoc suum accepisse tradit. Sunt, qui nomen illud ad Hebr. אפר, diuisit, separauit, referri volunt, quia ignis ea virtus est, separare vi, quae natura iunxit. *Fulgentio* *Vulcanus* quasi βελίκαπνος, *voluntatis calor*, fuit. Sed haec omnia, et quod *Vulcanus* quasi φλόγως, *flammeus*. ἀπὸ τῆ φλέγειν, *vrere*, dictus sit, cum ex longinquo repetita esse videantur, *Becmanus de originibus Latinae linguae*, in haec quidem causa, apud nos obtinet, qui *Tubalcainum*, ideo ita nominatum, quia condiebat, siue praeparabat artificium Caini, praeparauit enim instrumenta bellica, quibus homicidae eo citius vti possent ad homines interficiendos, videatur *R. Salom. Iarchi Comment. in Mos. Genes. IV. v. 22. Caini nepotem*, qui ferri, aeris, auri, argenti, omniumque, quae igne fabricantur, artem inuenit, *ethnicorum Vulcanum* esse in fabula affirmat, si mutetur T in V, quarum litterarum facilis est in sese migratio. De aëre praecipitatum esse *Vulcanum* dicunt in terras, quod omne fulmen de aëre cadit, quod quia crebro in *Lemnum* insulam iacitur, ideo in eam dicitur



dicitur cecidisse *Vulcanus*. Vid. *Serv. in libr. VIII. Aeneid. et Casp. Barbivius in aduersariis suis commentariis, libr. XXXV. c. XX.* citauit distichon *Eulogii Eulogiani veteris poetae*, quod illam fabulam ita enarrat;

*Iuppiter in terram Vulcanum deiecit, hoc est  
Fulmina cum caelo praecipitata cadunt.*

*Galenus nono simplicis Medicinae* scribit, *Vulcanum* in *Lemnum* insulam tradidit a fabulosis excussum Deum, quoniam loci facies sit exustae similis, nec quicquam subnascatur. *Vulcanus* fingitur claudus, quia flamma trepido sursum motu tendens quasi claudicare videtur, claudum autem factum esse dicunt ex ruina, cum praecipuus a Ioue datus esset e caelo. *Eusebius in Praepar. Euangel.* dicit, quod in forma hominis *Vulcano* simulacrum constitutum sit, in cuius capite pileus esset caeruleus, et *Albericus in libr. de imaginibus Deorum*, quod fabri similitudine, exerta ad opus manu dextra, qua malleum tenebat, ita ut iuxta eum officina esset, pictus sit. *Herodotus autem in libr. III.* ridicule eum postea ab Aegyptiis depictum fuisse narrat. *Statua enim Vulcani*, quam, cum templum illius *Cambyfes* adiret, multo derisu cauillatus est, simillima erat Diis, quos Pataicos vocabant Phoenices, quos in triremium pro Diis Phoenices circumferebant, et quos *Herodotus* Pigmaci viri imagine fuisse indicat. Et quia ethnici semper omnium rerum, quas vehementer viles recognoscerent, inuentores Deos habebant, ita ut numerosa Deorum series, pro eorum commodo aut libidine, extumesceret, *Vulcanum* autem vetustissimum artis aerariae inuentorem, Iouis filium, quoscunque enim antiquissimos, eosdem Iouis semper filios esse volebant, communi consensu omnes fuisse credebant, itaque *Vulcanum* non solum magno honore afficere, sed diuino etiam ignium Deum colere coeperunt. Alii quidem diuinum honorem Philosophiae inuentione eundem promeritum esse censent. Vid. *Diogen. Laërt. in prooemio.* Tanta autem Numinis huius quondam autoritas fuit, ut Solis eum parentem nonnulli fecerint, alii Apollinis ex *Minerua*, qui per ignem illum suum immortalitatem largiri posse credebatur. *Arnobius libr. IV. Plautus in Bacchid. Act. II. sc. III.* *Vulcanum* refert ad istos Deos, qui lucem praebent.

*Vulcanus, Sol, Luna, Dies, Dei quattuor  
Scelestiorum nullum illuxere alterum.*

¶ *Caesar de Germanis: Deorum numero eos solos ducunt, quos vident, Solem, Vulcanum et Lunam.* Persae in expugnatione urbium *Vulcanum* Deum sibi esse opitulatorem credebant. Vid. *Xenoph. in libr. VII. de institut. Cyri.* Ἦν γὰρ ἀναβῶσι τινὲς ἐπὶ τὰς οὐμίας, ἔχομεν σὺμπαχον θεῶν ἢ Παισῶν. Templo *Vulcani* apud *Aetnam* septuaginta circumiectum erat, sacrae item visabantur arbores, nec non peruigil et inextinctus ignis, Tempulum asseruabant



ac lucum canes, quibus mirum praecipue institum fuit ingenium, vt caste a-  
 deuntes permulcerent, seclere aliquo pollutos lacerarent, intemperantes au-  
 tem modo infectarentur, *Vid. Rhodigini lection. antiqu. libr. XXII. c. XIX.*  
 Erat etiam Romae templum *Vulcani*, circa quod magna hominum frequen-  
 tia negotiabatur, paulum supra forum eminens, *Vid. Dionys. Halicarn. lib. II.*  
 Titus Satius illud *Vulcano* olim vouebat. *Plutarchus* autem ipsum Romulum  
*Vulcani* fanum extra urbem aedificasse, ibique cum Tatio et senatu de rebus  
 arcanis consultasse, scribit *Quaest. XLVII.* et, causas eius rei inquirens, dicit,  
 fecisse id Romulum, quod *Vulcanum* eadem in vrbe, eodemque cum Marte,  
 quem in illo reus implicatum omnibus Diis ridendum adulterum *Vulcanus* ex-  
 posuerat, domicilio esse noaerit. In hoc eodem templo statuam ex victoria  
 coronatam Romulus collocauit, *vid. Plutarch. in Romulo.* Solebant in aede  
*Vulcani* tribuni plebis conuenire, et eo plebeios aduocare, in qua canes pro  
 aeditis esse, et sacilegos tantum allatrare ferebat fama. Aedes *Vulcani* diu  
 in urbem non admissa fuit, vt is Deus procul incendia arceret, *vid. Alexand.*  
*ab Alex. ind. lib. I. c. III. et libr. II. c. IV.* Et quod Athenis *Vulcani* in tem-  
 plo quasdam iuris controuersias decidere et criminum reos detinere mos fuit,  
 ex *Demostene* patet. Apud Romanos, singulis enim mensibus suum Numen  
 Romani praefecerant, septembris Pontificium *Vulcanus* habuit. Ferae *Vulca-*  
*no* sacrae, quae *Vulcanalia* dicebantur, incidebant in X. Cal. Septembr. Quo  
 die populus pro se in ignem animalia *Vulcano* mittebant. *Varro de lingua*  
*Latina libr. V.* Incipiebant enim eo die multi lucubrationes antelucanas, sed  
 tantum libaminis ergo, non vero vt etiam studiis sequentibus diebus incumben-  
 rent. *Vid. Plin. lib. III. Epist. V.* *Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non*  
*auspicandi causa, sed studendi, aestate statim nocte multa: hieme vero ab ho-*  
*ra septima, vel quam tardissime octaua, saepe sexta.* Ludos autem, quos *Vul-*  
*cana* faciebant, ob nocturnum ignem nocturnos fuisse, nouimus, quod *Scal-*  
*iger* docet, vbi de ludis *Cerealibus* sic ait: *Nocturni vero ignis usus in multis*  
*ludis fuit, quippe in Vulcanalibus, ob ignis Numen.* Noctivagam igitur co-  
 hortem *Plautus* vulcanosam dicit. In ludis, quos Athenienses etiam in *Vul-*  
*cani* honorem instituebant, choragi fuerunt, quorum lites, quas exortas ha-  
 bebant, quotannis saltem diiudicabantur. *Vid. Xenoph. in Republ. Atheniens.*  
*περὸς τῶν τοῖς χορηγῶν διαδικασίαι εἰς διορίσια καὶ θαργύλια καὶ πανα-*  
*θηναῖα, καὶ περὶ μῦθια, καὶ ἡ πάριαι, ὅσα ἐστὶν.* Sacrificia *Vulcani* igne  
 miraculose immisso, quando nimirum Deo perlitatum esset, consumpta esse,  
 docet *Solinus Polyhistor* c. XI. *Nec longe, inquit, inde collis Vulcanius, in quo,*  
*qui Diuinæ rei operantur, ligna vitæa super aras struunt, nec ignis adponitur*



in hanc congeriem, cum porricias intulerint; si adest Deus, si sacrum probatur, samenta licet viridia ignem sponte concipiunt, et nullo inflammante, a litato Numine fit incendium. Ibi epulantibus adludit flamma, quae fluxuosis excessibus vagabunda, quem cont gerit, non adurit; nec aliud est, quam imago nuncia perfecti rite voti. Quia autem eodem die agna tubas lustrare, quo Vulcani feriae celebrabantur, in fastis Romanorum constitutum erat, itaque Vulcani istae feriae saepe Tubilustria apud autores dicuntur. Ovidius Fast. libr. V.

Proxima Vulcani lux est, Tubilustria dicunt,  
Lustrantur pure, quas facit ille, tubae.

Erat etiam flamen Vulcanalis, Vulcano consecratus. Varro de lingua latina libr. III. Flaminum cognomina aperta sunt, Martialis et Vulcanalis. Quidam Graecorum, Vulcani antistites in Lemno aduersus ictum serpentium medica valuisse virtute, dicunt, et Herodotus libr. II. Sacerdotem Vulcani, cui nomen Sethon fuit, nominat, qui, apud simulacrum Vulcani complorans, precibus suis id a Deo consecutus esset, vt effusa ipsis hostibus, qui cum magnis copiis Aegyptum inuaserant, vis agrestium murium illorum tum pharetas, tum arcus, tum scutorum habenas abederint, ita vt postera die hostes armis exuti fugam fecerint, multis amissis, cuius rei in memoriam statua in templo Vulcani lapidea posita fuit, manu murem tenens, atque haec per litteras dicens: εἰς ἐμὰ εἰσπορεύειν οὐκ εἶσθε: ἔτις ἔστω. Sed vt de Vulcano artis ferrariae autore, qui, hieme ab opere suo feriatu, vere statim ineunte propositum laborem repetiit, vid, Horat, libr. I, Od. IIII.

- - - - -  
dum graues Cyclopum.

Vulcanus ardens vrit officinas,

quae nostra sit sententia breuiter dicamus, Arnobius certe placet, qui Vulcanum Lemni regem fuisse, vel alioquin eam insulam habitasse scribit. Quia autem Rhodiginus in lectionibus suis antiquis lib. XIX, c. X, plures aerarios fabros in Lemno insula fuisse dicit, probabili coniectura ducimur, Vulcanum ideo harum artium, quae igne fabricantur, inuentorem habitum esse, quia isti aerarii fabri sub huius regis auspicio in Lemno insula tunc temporis florere coeperint.

Et satis de Vulcano, ad Iuuenes ornatissimos accedamus, quibus iam in animo est, publice dicendo in laudes montium nostrorum excurrere, et quorum nomina haec sunt:

I. Christianus Henricus Valerius Zeis, Schlettav. Hic per omne id tempus, quo vique adhuc discipulus noster coetum dis-

681-



centium apud nos auxit, pius, diligens et modestus pacis humanitasque studium Magistris approbavit, vt non cuiquam condiscipulorum litem, quod scimus, intenderet. Studiorum iecit fundamenta in aedibus Parentis plurimum Reuerendi atque Doctissimi, Professoris apud Schlethanenses optime meriti, et in schola patria. Post ante hos septem annos scholae nostrae aggregatus, vt altioribus rite apud nos praepararetur, vt intentioni satisfaceret et officio, nunquam non recordatus est, ita vt nunc iis, quae in superioribus scholis requiruntur, studiis pulchre instructus, non sine fructu, cum Witteberga Annabergam nostram commutare possit. Pro rostris publice stetit, et iam vltimo surgens *Officinas ferrarias in montibus nostris Carmine latino Heroico*, non ineleganter composito, decantabit, ac dein *Vernaculo* valere nos iubebit.

II. Ioannes Wilh. Biedermannus, *Annaemontanus*, laudabit diuitias, quas montes nostri in visceribus suis habent, Orat. Gallic.

III. Io. Augustinus Kaepfel, *Grumbatzens. Schoenb.* Wittebergam a nobis etiam discessurus. Hic ante duo circiter annos quum ad nos veniret, Geraiensis scholae ciuibus olim adscriptus, Choro nostro Musico per id tempus Adiunctus, quem ita dicunt, constitutus, dextre praefuit. Nec huic laudem modestiae et obedientiae erga Praeceptores vllus negare poterit. Musas et Musicam pari amore in posterum profecuturus, ad Academicos Praeceptores audiendos abire honeste parat. Pro rostris publice apud nos quidem numquam, apud Geraienses autem stetit. *Oratione latina de diuitiis, quas montes nostri in sua superficie habent, praemissa, Vltimum Vale Carmine germanico* dicet.

IV. Georg. Godofr. Hillig, *Mauersbergens. Misn. quod commoda in montibus nostris habitatio sit, Orat. German.* euincet.

V. Christian. Frider. Nestlerus, *Annaemont. quod iucunda in montibus nostris commoratio sit, Carmine Vernaculo* canet, simulque abiturientibus faustissima quaeuis nomine omnium precabitur.

Et quum nemo adhuc Poeta Latinus officinas nostras nostris in montibus ferrarias, aut alibi, fumum carbonibus innumeris excitatum in illis densissimum, horrendos crepi-



crepitus Vulcani & minas, continuos machinarum fragores et tonitrua continuo sonitu murmurantia, Claudiana tonitrua, numeris aptare, si recte noquimus, ausus sit, *Carmen illud Heroicum*, in quo *Zeissus* noster, breui non noster, vires iuueniles periclitari voluit, de Officiis istis indictium, vt iuuenis ille optimae spei de publico diligentiae suae specimine quodam gloriari possit, typis exprimendum curauimus, et hoc est:

\* \* \* \* \*

**F**ertilis ingenium patriae, pendentia saxa,  
Vmbrosas syluas et rupes, flumina circum,  
Campos et valles vastis cum montibus altas,  
Vulcanique domos piceas, Siculosque labores,  
Diuitis et terrae iam ferrea viscera cantu  
Prodere, et Aënidum plectro meâ sensâ profari,  
Mens congesta iubet. Totum praecordia spirant  
Vulcanum. Mihi iam cernuntur saxa moueri  
Sedibus ex imis, sparsae vibrantur in auras  
Scintillae, auditur fremitus, tellusque remugit,  
Atque solum trepidat duplicatis ictibus omne.  
Dic, mea Calliope, mecum vulcania regna,  
Regna canam, nigrumque Deum, cumque ignibus ignes.  
Muciber ignipotens, adsis, Cyclopesque, fauete  
Brontesque Steropesque mihi, fumansque Pyracmon.  
Dicite, qua serie ferrum, quoque ordine rerum  
In varium studio vestro conuertitis usum.

Ante tamen, quam te, te, Lemnie, laudibus audax  
Effero, (numen enim temerarius effero cantu)  
Vos, qui potatis doctas Aganippidos vndas,  
Pulchra corona virum, ferro linguisque fauete,  
Vclis adspirare meis, dum fronte serena,  
Indice lactitiae, sedeat propensa voluntas,  
Et calamos tenues non fastidite, Camaenae.

Sed cur molis opus tantas, cur pondera tanta  
Infirma humeris ausus sim fumere, miror.  
Obruit audentem ferrum, grauitasque, Deusque,  
Lausque Dei viua hic debilitata iacebit.

Moe-



Moeonio est aliquid confurgere carmine, saepe  
Haesi, sed patriae nostrae debere putavi  
Carmen, quae non est laudatis vltima tellus,  
Calcar erat pietas, et in almam gratia terram.

Ein Eisen-  
bruch.

Mira graues ferro lapides vis soluit in antris.  
Perfodiunt scopulos inuictos aere trifulco,  
Pulvere sulphureo perfossa foramina complent,  
Et solidis vinclis, dura compage, coarctant,  
Angustaque via vestigia parua relinquunt,  
Per quae, cum fugiunt, percurrit missilis ignis,  
Estque fugae tempus, nam facto tramite puluis  
Non, sed qua fortuna dedit, per deuia tendit,  
Murmurat erumpitque tonans, celeratque ruinam  
Temporis articulo, montes et destruit altos.  
Quae natura potens formauit mitia saxa,  
Coguntur rastris mordacibus atque labore.  
Ingenium ferro ferrum sic elicit antris,  
Antra adeunda viris sinuant per viscera tecta  
Se longo tractu, pingues terraeque medullas.  
His se visceribus lychnis ardentibus abdunt,  
Exosi Phoebum rimantur saxea terrae  
Viscera, quaque latent abstrusa metalla, pererrant,  
Enucleant lapides generosos diuite vena,  
Suppeditantque Deo Vulcano alimenta laborum,  
Ex stygiis torto quae librant fune cauernis,  
Curribus et vastis opera ad fabrilia voluunt.

Ein Buch-  
werk.

Lignea ferratis exstructa est machina truncis,  
Hos truncos animat rota, aquarum pondere viuua.  
Intonat, et lapides istos in semina parua  
Motibus assiduis irata haec machina versat.

Der hohe  
Ofen.

Hoc lapidum semen clausum fornace liquefcit.  
Ferrea congeries sic exercetur in igne,  
Ingens vt durante caminus candeat aestu,  
Vt vi flammaram sudet circumfluus aether,  
Vt scintillarum surgant examina tectis,  
Atque minaturas vt fornax exspuat iras.

Der Mäns-  
der.

More domus struitur lignum, quod cespite tectum.

B

Nun-



Nunquam dat flammam, lenique tepore crematur,  
Vt nil de ligno, nisi solus carbo, superfit,  
Quem sopitum vndis ad magna incendia seruant.

Hic habet, vnde Deus gemitur Lipareius ignes.  
Cyclops carbonibus aggerit vnus,  
Vastaque continuis prunis incendia nutrit.  
Scilicet vt duret flammaram fortior aestus,  
Et non deficiant assuetis viribus ignes.  
Aeolus alii ventosis follibus auras  
Accipiunt, redduntque acuntque afflatibus iras.  
Horrendumque gemit, dum follis fuscitat ignes,  
Haud aliter, quam si dat clausis carcere ventis  
Aeolus imperio laxatas iussus habenas,  
Inque latus pulsat conuersa cuspide rupes,  
Et celeres venti tunc, qua data porta, ruentes  
Et pontum, et scopulos, et littora turbine perflant,  
Et nemorum latebras penetrant, et culmina frangunt.

Hinc alii longis ferrum \* non vile contis  
Extorquent studio, lasa fornace metallum  
Dum maduit, liquidumque potest exire, statuto  
Tempore carceribus laxant, excocataque flammis  
Acta sinunt certam in formam prodire caminis.  
Terra rubet, riuus dum profluit igneus arcto  
Tramite, dumque chalybs sibi corpora mille figurat,  
Haud secus, ac Phlegethon si feruida torqueat ardens  
Aequora, vorticibus qui Tartara lustrat anhelis,  
Inque suis ripis saxosa incendia voluit,  
Vel trux Enceladus flagranti pectore sulphur  
Spiret inexhaustum, ruat et Trinacrius amnis  
Per summos apices, rubeant et iugera montis.

Die Page  
der Ham-  
merwerke.

Structurae chalybum sunt clausae montibus, agri  
Forma luxuriant, exultant pectora multis  
Deliciis, campi se curuant, culmina visu  
Decrescunt, apices tunc dissociantur opaca  
Valle, latus dextrum foecundat sidere pulso  
Exurgens Phoebus, laeuumque vaporat apricum  
Occiduum. Circum sunt floribus omnia laeta.

\* Schacken.

Forma



Forma loci recreat, dum ridens turget in herbas,  
 Floraque dum late dulcem diffundit odorem,  
 Aëreis gemmis, nocturno rore grauata,  
 Desiliens scopulis fons in glomeramina, passim  
 Liquitur, et generat crescentes amnibus amnes,  
 Per iuga, per campos incertis flumina ripis  
 Ingeniosa ruunt, longisque ambagibus errant,  
 Ad loca dum voluunt vndas curuamine fessas.  
 Iuraque dant vndis Cyclopes. Non ordine currunt,  
 Exspatiata vias sinuant per gramina multas  
 Flumina. Frondoso sylvarum margine serpunt  
 Vndae, prata rigant, inuitant murmure somnos,  
 Suauiter attritas dum versant amnis arenas.  
 Cum pigro tractu tacitas funduntur per herbas,  
 Cernuntur radii tremulas titubare per vndas  
 Solis, et errantes ludunt in flumine frondes  
 Temperat et soles ramorum frigore sylua,  
 Sub liquidisque vndis inducit peruius humor  
 Humanos visus, prodens secreta liquoris.  
 Omnes diuitias tepidae daret incola terrae,  
 Tam puro gelidus si fons liqueceret amne,  
 Tam largoque. Fidem popularia flumina seruant,  
 Ante domum domini capit alueus omnia ripis.  
 Arbiter has vndas declinat, pondere currunt  
 Tunc defrenato, sonitu vicina fatigant,  
 Terras aspergunt, grauis et conuertit in orbes  
 Deiectus molem, quae viuo flamine folles  
 Flangentes animat et respiramina reddit.

Die Werk-  
 statt, wo  
 geschmiedet  
 wird.

Est sed adhuc ferrum rudis indigestaque moles,  
 Quam fornax iterum candescens excipit, igne  
 Vt coquat et purget meliori, carboque flagrans  
 Vincula perpetua vi ferri dura relaxet.  
 Hic quantum esudent Cyclopes, quoque laborent  
 Robore, quaeque fluant lacrymas, dum nubila fumus  
 Pendula vanescens gyrat, credibile non est.  
 Lemnifer ipse Deus tepidis incudibus adstat,  
 Terribilem picea tectus caligine vultum,



Barba micat, rutilo coma semper aduritur igne,  
 Fronte sedent tenebrae, foedant incendia corpus,  
 Corpus habet squallens, totum ferrugine tinctum,  
 Ferrum candescens, dextra libratus ab aure,  
 Discutit horrifono Vulcani malleus ictu.  
 Hic sunt structurae chalybum, hic est regia vera  
 Ignipotentis, et hic sustento carmine Musam.  
 Hic rapidi fratres totum fabricantur in orbem,  
 Hic, hic tanta salus, hic tantaque commoda mundi,  
 Quae, licet ora sonent centum, non dicere possim.  
 Suggere verba mihi, Deus, vt mea fistula laudet  
 Montibus in nostris ferrum, praestantius auro,  
 Sanctius, vtilius, multumque antiquius auro.  
 Sed quid enim nobis valet illud inutile pondus?  
 Aurea quid bona sunt? irritamenta malorum,  
 Exitiale nihil, multis damnosa voluptas,  
 Quae sensus hebetat, quae lumina mentis obumbrat,  
 At, quae sint nostri communia commoda ferri,  
 Expediam, numerus si non conamina magnus  
 Opprimit, et Musam cumulata tonitrua terrent.

**Der große  
 Hammer.**

Malleus est positus, quem motat lapsus aquarum,  
 Hoc onus exsurgens seruat sua tempora iussa.  
 Aduolat aetnaeus frater, qui forcipe massam  
 Candentem verset, solito quatiatque tenore.  
 Affixis oculis. Ne malleus irritus icat,  
 Atque vices iustas piger exercere quiescat,  
 Hic fert aera, nouique vices, statione relicta,  
 Obseruant, subeunt, abeunt, redeuntque vicissim.  
 Malleus interea cadit irreuocabilis, vrget,  
 Intonat, et validis feruentia viribus aera  
 Extenuat, multoque metallum mitigat ictu,  
 Paruaque verberibus crebris confundit in vnum.  
 Auribus inuisus, dum desuper irruit ingens,  
 Personat alta domus, gemit incus, antra tremiscunt.  
 Sic \*ferrum ferrum vincit, \*\*ferroque tenetur.  
 Malleus hic ingens non solus territat aures,  
 Centum alii crepitant repetito verbere circum,

\* Der Hammer. \*\* Die Zange.

Vndique.



Vndique fit sonitus, resonans tonat ictibus incus.  
Circumfusa viris, et dextras malleus armat,  
Nec mora, feruet opus, multa vi brachia tollunt  
In numerum socii fortiti, cumque labores  
Diuerſi generis sunt, ad ſua quiſque vocatur.

Die Blatz  
Schmidte.

Pars hominum rauco tinnitu percutit aera,  
Et tenuem pulſat feſtino pollice maſſam.

Pars volat ad flammas, pars flammis excitat iras,  
Pars adfert gelidum ferrum, pars ignibus aufert,  
Pars poſitum tundit, pars forcipe dirigit apta,  
Pars leuiora facit, (*non omnia poſſumus omnes.*)  
Pars ferrum limat, pars nobiliora reponit,  
Pars polit, et manibus rapidis ſubtilia tractat,  
Pars noua molitur, pars, ingenioſior illa,  
Non inuenta refert, et pars docet arte Magiſtra,  
Pars implet folles vento, ſtridentia ferra:  
Pars immergit aquis. Vt apes aeſtate laborant,  
Dum pars exercetur agris, alimentaue vitae  
Quaerit, in imbre aliae gemmati roris aquantur,  
Ceras componunt aliae, dulciſſima mella  
Stipant, puro aliae diſtentant nectare cellas,  
Inque vices aliae ſpeculantur. cerea tecta,  
Ignuos aliae praedones aedibus arcent.

Credas, tam varios inter magnosque labores:  
Omnia confundi, dum plenis obuēnit alter  
Alterius manibus, dumque huc et curritur illuc.  
Cuncta tamen recto componunt ordine cuncti,  
Vtque leues gracili terrena ſub horrea calle  
Grana reperta ferunt formicae, quaeque pererrat:  
Attritas metas, delirat tramite nulla,  
Nullaque. vicinis allidit corpus eundo.

Sic non impediunt ſe, ſed manus altera promtam  
Poſcitur opem alterius, nullusque laboribus obſtat,  
Totaque turba poteſt dici *concordia diſcors.*

Sed quales motus, et qualia murmura nobis  
Excitat illa domus! Chalybum ſtructura labat,  
Cum ſcopulis nutant auuſi cordine montes,



Anxia mens refugit procul, et formidat adire,  
Cumque timore vetat murmur commercia linguae,  
Membra subit gelidus tremor, atque comam erigit horror,  
Dum miscent operi Cyclopes sonitumque metumque,  
Dumque tonant moles, fornacibus ignis anhelat,  
Dum ventis spirent animae, ceu Scylla ferarum  
Exululet patulo rictu, dum malleus, incus  
Et ferrum referunt gemitum, striduntque caernis,  
Dumque rotas celes sua per vestigia voluit  
Deiectus spumans, et in orbem curuat eundem,  
Impluit et niuea terras aspergine circum,  
Dumque rubens tepidis submersum sibilat vndis  
Ferrum, quod flammis eduxit forcipe Cyclops.  
Non sic ille tonans terret praecordia nostra,  
Ignea dum ruptis nimbis sua fulmina mittit,  
Quam nos in terris imitata tonitrua terrent.

Sed, mea Musa, redi varia ad praeconia ferri,  
Omnia ni cogis numero, tamen optima profer;

Seib. und  
Haug = Ge.  
rath.

Prima Ceres docuit tellurem vertere ferro,  
Quo sine nec potuere seri, nec crescere menses,  
Vomeribus, rastris, terrasque secamus aratro,  
Falceque demetimus calamos cum gramine flavos,  
Sternimus excelsas fagos et ligna securi,  
Molle quod argentum, quod et aurum molle recusat,  
Subuehimur plaustris, quae ferrea vincula neunt,  
Ferreus est axis, temoque, et ferrea summae  
Curuatura rotae, clauorum est ferreus ordo.

Lignea nauigii ferro iunctura ligatur,  
Saxa trabesque domus vincimus robore ferri.  
Furibus occultis obducimus aere fenestras,  
Ferratasque fores opponere, cardine clauso,  
Et munire domos patulas nos obice firmo  
Noxque timorque monet. Prouoluere cogimur hosti  
Moles ferratas, et ferro claudere portas,  
Et rigidis claustris ferratos nectere postes.

Profert nodosas Vulcani dextra catenas,  
Hostibus impediunt istis aditusque foresque,

Musa,



Musa, catenarum variis desiderat usus  
Carmina longa. Silae, varias, mea Musa, catenas,  
Adde tamen, iustis quod crimina prava catenis  
Stringant, et vinculis ad fata extrema referuent.

Pellitur hostilis nostris e finibus horror,  
Iuraque protegimus patriae crepitantibus armis.  
Lamina, traducto quae plumbo fulgurat, usus

Sexcentos praebet, quos commemorare, nec vna  
Lux mihi sufficeret. Res publica confugit omnis  
Artificum ad chalybum structuras, ferrea poscit  
Instrumenta sibi. Quis erit, cui ciuica iura,  
Cui patrius placuit mos, qui sibi sumere cultrum  
Abnuet, ad victus nostros et ad omnia promptum?  
Cultrum, quo longam possit concidere barbam?

Cumque opus est flammis, tunc ferrum prendimus aptum,  
Et silicis venis tremulos excutimus ignes,

Aedibus in nostris fornaces exstruit aere  
Muciber, et varias insculpit in aere figuras.  
Hic ferrum sinuat fluctus, hic flumina voluit,  
Hic effert turres, hic vastas turget in vrbes,  
Porrigit hic rupes, hic montes aggerit altos,  
Hic abit in campos, hic fingit in aequore puppes,  
Fluctuat hic pontus, venti hic stridere videntur,  
Hic fit naufragium, Mauors hic concutit arma,  
Hic sol exoriens per sylvas fulgurat ore,  
Hic oculis fructus mentitos obicit hortus,  
Hic aruum segetes, quas messor in horrea confert,  
Illic sylua feras, quas vrget turba Dianae  
Cum rapidis canibus, qui curuis dentibus instant,  
Plura nec Aeneae clypeus praedixerat olim,  
Dum Deus ignipotens insculpsit fata futura.

Nunc restant, quas res emendat ferrea lima,  
Quae, dum consumit, ferro consumitur vna.  
Sed quis aquae guttas numeret, quas continet aequor?  
Et tamen aequoreas citius cum piscibus vndas,  
Et citius numerabo viros, quos perdidit aurum,  
Quam quae promanant ex ferro commoda nobis.



QK Th  
870

Hos celebres semper ditissima vena metalli  
Nobilitet montes, et quaestus incola magnos  
Ex ferro faciat! Vos increbrescite venti,  
Verbera multiplicare, viri, atque tonitrua, moles!  
Et rapidus clausis fornacibus aestuet ignis,  
Atque futurus opes ingentes excoquat ardor,  
Ut mancant montes operum fons vnus in orbe,  
Ex quo sudantis manus ingeniosa superbit  
Artificis, mundo noua si miracula praebet!

Tollite nunc versus, Aetnae Liparaeque caernae.  
Lemnifer interea galeas tibi, docta Corona,  
Apponat validis tueatur corpora squamis,  
Et ducat circum te ferrea moenia!

Dixi.

Vos Patroni optimi, et Fautores litterarum gra-  
uissimi, vna cum *urbis ciuibus honestissimis*, qua decet modestia et obser-  
uantia, oro et rogo, vt *honorifica vestra praesentia*, crastina luce, hora in rubro  
dicta, in auditorio maiori scholae nostrae, Actum nostrum splendidiorem red-  
dere haud denegatis, quam *vestram beneuolentiam* schola nostra  
grata mente semper agnoscat. Scr. d. 9. Sept.

M DCC LI.





vol 18

ULB Halle

3


006 357 849











DE  
VULCANO IN LEMNO REGE,  
SVB CVIVS AVSPICIIIS ARTES FERRARIÆ IN ISTA  
INSVLA REGNARE COEPERINT,  
EXPONIT

SIMVLQVE  
SVMME REVERENDVM  
DOMINVM EPHORVM,  
INSPECTORES RELIQVOS  
MAXIMOPERE COLENDOS,  
AC  
ALIOS REI LITTERARIÆ FAVTORES,  
CVM  
CIVIBVS VRBIS,  
AD  
ACTVM ORATORIVM,  
CRASTINA LVCE, AVDITA HORA IX. MATVTINA,  
D. X. SEPT. M DCC LI.  
HABENDVM,  
QVA DECET OBSERVANTIA,  
INVITAT,  
ADAM DANIEL RICHTERVS,  
RECT. SCHOL. ANNEBERG.

ANNABERGÆ,

EXCVBIT AVGVSTVS VALENTINVS FRIESE.

